Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

642

No. 1729.



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

=LN 1014
ex. 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

ARISTOTELICA ET RAMEA:

DE INSIDIOSIS SOPHISTARVM SIMVLATIONIBVS,

Inſtitutiones Breues:

QVIBVS ADDITVR DISCEPTAtio, *in qua vtramq́; inſtitutionem*

Ad Catholicas de materia & forma artium leges poſſe referri, demonſtratur:

Opera & ſtudio, *ANDREAE KRAGII RIPENSIS DANI.*



No. 278.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſ. Maieſt.

BASILEÆ,

PER SEBASTIANVM HENRICPETRI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

VIRTVTE ET GENERIS SPLENDORE NOBILI VIRO: DOMI-NO ABSOLONI IVELL DE MEELGARD: Sereniſsimo Daniæ & Septemtrionis regi, &c. fideliſsi-mè, proximeque à ſecretis & conſilijs: fautori ſuo ſemper colendo, S.

OMNES ad vnum, colende fautor, qui elegantiſsimi huius adagij, Δελφικὸν ξίφος, *Delphicus gladius, in ſuis ſcriptis meminerunt, de rebus, diuerſis vſibus inſeruientibus, interpretãtur. Eraſmus Roterodamus, inter eos qui adagia collegerunt facile primus & veluti coryphæus, id ad eruditionem accommodari poſſe, confirmat: quam Delphicum gladium appelles licet: quòd in omni ætate, omni vitæ conditione præcipuo ſit vſui. Nam bonæ literæ ingenioſis iuuenibus ſunt neceſſariæ: ſenibus eruditis admodum iucundæ: pauperibus non raro opes ſuppeditant: opulentis adiungunt ornamentum: in rebus aduerſis ſolatio ſunt: in ſecundis gloriæ: claro natis genere ſplendorem augent: obſcuro genere natis claritatis initium ſtudioſè conciliant. Quod ſi à verò non abſit, nemo, niſi cui in ſcirpo nodum quærere & vitilitigationem inſtituere animus ſit, poteſt mihi iure vitio vertere: ſi ad Eraſmi ſententiam reſpiciens, Rameas de materia & forma artium leges, hoc nomen meruiſſe profitear: & exẽplis illuſtribus adductis, quaſi* αὐτῷ τῷ ἔργῳ *demonſtrem. Habent enim eæ uarios & multiplices vſus: quorum gratia hoc laudis ſuo merito obtinent: & prætérquam quòd artes verè, iuſtè, prudẽter, ordinatè conſtituunt, falſa incertaque, aliena, ridiculè impropriéque prolata, & inordinata, à bonarum artium finibus* καὶ ταῖς ὁροθεσίαις, *ſuis munitionibus tanquã indagine prohibent: & vt aliena* καὶ ἀπροσδιόνυσα *excludunt.*

*Prima lex eſt κατὰ παντός: qua veritas in diſciplinis neceſſaria
& generalis ſolerter καὶ εὐστόχως requiritur: quæq; ideo lex ve-
ritatis appellatur. Hæc lex vetat, ne quis in vlla arte explican-
da infinitam falſi comminiſcendi ſibi licentiam poſtulet: nec do
ctrinam parte alia veram, alia falſam, tempore alio veram, a-
lio falſam probet. Niſi fortè prouerbij, quod mendacem eſſe me-
morem præcipit, oblitus, hodie quidem verum dicere, cras fal-
ſum, parte alia verum alia falſum, rem eſſe leuem & ridiculã,
Coroebi cuiuſdam exemplo, perſuaſum habuerit. Secunda lex
καθ' αὑτὸ lex iuſticiæ, qua fines artium regũtur: vt ſuis quæque
terminis & præceptis diſtinctæ propria tantùm tractent & v-
ſurpent: aliena καὶ ἐξαγώνια miſſa faciant. Repudiat itaq; hæc
lex ab artib. illam temerariã quidlibet in qualibet arte miſcen-
di & confundendi pernicioſam licentiam: quæ artes in chimæ
ras & ridiculos centones flagitioſè transformat. Non enim
quidquam ſit arithmeticum in Geometria, neque geometri-
cum in Arithmetica: alioquin illud ἀγεωμέτρητον, hoc ἀνά-
ριθμον erit: & ſic ſanè de ceteris quoq; artibus pronunciandum
eſt. Tertia lex eſt καθ' ὅλου πρῶτον: vt omnia in artibus propriè
enuncientur: generalis affectio in genere, ſpecialis in ſpecie do-
ceatur. Hac lege arcetur ab artibus tautologia illa odioſa, quæ
eadem affectio, tanquam crambe bis cocta ſæpius iteratur, quæ
dicta ſemel tantundem eſſet profutura. Hæc tamẽ vt occultior
ſic importunior eſt, cum eadem doctrina vario aliquo tracta-
tionis genere diſtincta repetatur. Et inſcientia illa ſophiſtica,
hîc etiam reijcitur, in qua affectio ſpecialis generi, vel generalis
ſpeciei attribuatur: ſpeciale enim omni generi non conuenit.
Quarta lex eſt de forma & methodo artium: vt natura prius
præcedat: quòd aditũ ijs quæ ſequuntur faciat. Quemadmo-
dum verò hæc via eſt intelligentiæ & accurati cõpendij, cum
natura priora & clariora ſemel præponũtur ad obſcuriora ſuis
locis declarandum: ſic contraria via à ſpecialibus ad generalia,*

via confuſionis eſt, & ſophiſticæ tautologiæ: quæ hydra vnicæ
methodo bellum faciens, hac lege, tãquam Tenedia bipenne, con
cidetur & conficietur. Sed quorſum hæc inquies? Horſum nem
pe, vt ijs commonefiant qui in Ariſtotelis fidem ſe totos inſi-
nuarunt & dediderunt, leges bonarum artium catholicas, non
ſolum in condendis artibus neceſſarias & vtiles eſſe: verume-
tiam in infirmandis & deſtruendis falſis & inſidioſis ſophiſta-
rum ſimulationibus æque magno vſui eſſe: quum, vt venuſtè di
ci ſolet, rectum & ſui ipſius & obliqui norma ſit. Fatetur bona
pars Ariſtotelicorum, conſcientia quadam mentis, licet non-
nihil offenſæ & infeſtæ, attamen conſcientia oppreſſi, aliquid
haſce leges conferre commodi in artibus conficiendis: ſed in di-
ſputationibus & colloquijs de rebus grauioribus magis eſſe mu-
tas quam piſces: Ariſtoteleamq; de Elenchis inſtitutionem (ſic
enim ſecundum venerandum ſenem Ioannem Sturmium de
Elenchis tractatus appellari debet: cum is doctrinam vereatur
nominare) ſolum illic ſonare & vtilem eſſe. Horſum itaq; vt
dixi prior ſermo adcõmodatus erat, vt tam pernicioſam & ca-
lumnijs, ceu ſordibus, commaculatam opinionem à doctorum
adoleſcentium animis euulſam, deleret. Horſum reliqua do-
ctrina tota comparabitur: quæ præterea, oratione probabili
conſequetur, nõ iniuria de prædictis legibus id pronunciatum:
demonſtrabitq; omnes Elenchos tam Ariſtotelicos quam Ra-
meos, harum legum Elenchos eſſe: earumq; auxilio lõge facilius
ijs infirmationem reſolutionemq; poſſe adduci. Abſit tamen vt
me patiar deduci ad certandum, an ſit Elenchorum inſtitutio-
ni vllus in artibus locus & vſus: cum ſiue vera ſint illa de Elen-
chis Ariſtotelica encomia, quod finem habeant vtilem; falſas
opiniones exſtirpando, veritatemq; inducendo: ſiue dubia, mi-
hi in animo non ſit hoc loco diſcutere & exputare. Veruntamẽ
quod recepi me facturum expromi nequit, niſi prius explorata
& cognita vtriusq; philoſophi mẽte & ſup hac inſtitutione ſen-

 tentia.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

tentia. Quare placuit ex amborum ſcriptis breuiaria duo ſubducere: & in ijs eorum ſententias complecti. Quo peracto, reliquum ſcriptum, quæ fallaciæ ſigillatim ad quas leges reuocandæ & referendæ ſint, pro ut ingenium & tempus ferant, patefaciet & docebit.

Si quis mihi hîc obiecerit quod Ramo ſæpius inter alia exprobratum fuit, Rameæ philoſophiæ ſtudioſis nihil aliud in ore eſſe præter tres voculas, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλȣ πρῶτον, ſolo ſilentio haſce inanes calumnias vlciſcar: & mecum in ſolo aliquo loco tectus, tres leges miſeras, & variarum tempeſtatum fluctibus iactatas & agitatas, deplorabo. Iuraui enim & iuro de me patientiam, poſtquam ſenſi doctioribus quibuſdam ſcholas meas contra Lieblerum editas quibus Ramo parentaui propter acerbitatem & intolerantiam animum commouiſſe. Sin verò obſtinatè progrediatur aliquis, nolens ſuo propoſito deſiſtere, antequam audiuerit, quo pacto veriſimile fiat breuia prolixioribus eſſe anteponenda: mox eum ad Plutarchū in Pyrrho relegabo, vnde per ſimilitudinem & Chreias intelliget magnam amentiam eſſe, cum natura breuiſſimam, facilimamq́ ad omnes omninò quæſtiones viam monſtrauerit, tam ſalebroſos, tam præcipites, tam longos & moleſtos ſinus proſequi. Cyneas Orator, vt ſcribit loco præfato Plutarchus, cum Pyrrhum ad Romanenſe bellum inclinantem cerneret: nactus illum aliquando otioſum in huiuſmodi ſermonem adduxit. Egregij quidem bello Romani eſſe dicuntur, multisq́ bellicoſis gentibus imperare: quod ſi eos ſuperare dij nobis dederint, quid tunc agemus Pyrrhe? ad hæc Pyrrhus, de re haud quaquam obſcura, inquit, ô Cynea percunctaris: neq́ enim barbara nobis neq́ græca ciuitas reſiſtere valeret Romanis, ſuperatis: ſed haberemus confeſtim Italiam totam cuius minimè magnitudinem & potentiam te ignorare arbitror. Parumper ergo commoratus Cyneas: enimuerò cum Italiam ceperimus, inquit, quid tum agemus? &

Pyrrhus, nondum mente eius intellecta, proxima, inquit, Sicilia eſt, inſula felix, ac populoſa, quæ capi facile poteſt ob ſeditiones ac diſcordias ciuitatum. Recte dicis, inquit Cyneas: ſed an finis malitiæ nobis erit, Siciliam cepiſſe? Deus modò, inquit Pyrrhus, victoriã præſtet: nam hiſce veluti præludijs vtemur ad res maximas cõficiendas. Quis enim Lybia abſtineat, & Carthagine: quam nuper Agathocles clàm ex Syracuſis profectus exigua claſſe paullò abfuit, quin caperet? his autem victis nullus nobis reſiſteret hoſtis. Ita eſt, inquit Cyneas: conſtat enim, quod & Macedoniam recuperare, & Græciæ dominari certiſsimè cum hac potentia licebit: ſed victis omnibus, ac ſubactis, quid faciemus tandem? Pyrrhus ridens, otium inquit, agemus: & quotidiana feſtiuitate mutuiſq; ſermonibus lætitiaq; perfruemur. Cum ad hæc Cyneas Pyrrhum adduxiſſet: at quid vetat, inquit, ô rex, quo minus nũc iſta læticia & feſtiuitate, & otio perfruamur? adeſt quippe nobis ſine labore facultas eorum ad quæ per ſanguinem, moleſtias, & pericula noſtra & aliorum peruenturi ſumus. Hæc Plutarchus. Sed labor longius à propoſito: nunc tempus eſt vt fidem datam liberem: qua pollicitus ſum, me libello edito demonſtraturum, leges Rameas omnes in ſe Elenchos continere: & quod breuiori labore & minori moleſtia fieri poterit: non eſſe, cum moleſtia & periculoſa periclitatione affectandum. Ah quid dixi me libellum hunc in publicum editurum! quamprimum enim hoc à me prolatum libellus ſenſit, aurem vellicauit, monuitq; ſe non eſſe demittendum in tam lubricum ac præceps hominum iudicium. Mihi autem cum ſurdo narraret fabulam, nec locum dari ſuis admonitionibus perſpexit: in memoriam ſuggeſsit ſplendere in Dania lumen quoddam, Abſolonem Iuell, Secretarium Regium ſummum, qui nõ minorem virtutis quam generis ſplendorem ceperat: cuius autoritate tectus omnes poſſet aduerſariorum impetus & impreſſiones ſuſtinere. Itaq; cum tua, fautor colende, etiam mihi mul-

tis no-

tis nominibus perſpecta & explorata eximia probitas, ſpem timido clienti faceret, eamq́; quæ ab amicis de tuo in me animo perſcribantur, confirmaret. permiſi vt patrocinium tuæ probitatis & autoritatis verecundus & ſupplex oraret: obteſtareturq́; vt in cuius nomine liberior apparuiſſet, in eius autoritate, tutior & conſtantior acquieſceret. Quamobrem clemens eum, in tuam fidem clientelamq́; ſuſcipe, vt ſartus & tectus ab iniurijs conſeruetur: ſic tibi Muſæ Socraticæ nomen æternum: laudesq́;, tuæ proſapiæ, æternas precabuntur. Datæ Baſileæ Rauricorum ipſis Kalendis Martij: Anni Chriſti Dei, CIↃ. IↃ. LXXXIII.

T. Obſeruandiſs.

Andr. Kragius

Ripenſis *DANVS.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

LIBRORVM ARISTOTELIS DE INSIDIOSIS SIMVLATIONIBVS ſophiſtarum breuiarium.

ARGVMENTVM.

CONSCRIPTVRO *mihi ex Ariſtot. de ſophiſtarum inſidijs breuiarium, graues quædam ſollicitudines animum perculſerunt & occuparunt: quæ nullam quietis partem impertiuerunt, donec me cò compulſum ſenſerunt: ut nullum ferè uerbum, nullum exemplum, nullam ordinis immutationem in eo aſperſum iri, niſi ab Ariſt. ipſo prius adhibita fidẽ dediſſem. Diu enim multũq; fruſtrà ijs ſollicitatus, ut ſaltem ordinem mutare integrum eſſet, repulſam paſſus, in earum uoluntatem me inſinuaui & dedi. Principem inter eas potentiam obtinuit, quæ hac cautione utendum monuit: ne ſub ſpecie ſimulationis Ariſtotelem conuellere, aut per eam cauſſam Ariſtotelicam inſtitutionem de ſophiſtarum inſidijs in hũc locum adducere, uiderer. Hiſce cum fide interpoſita recepiſſem, me de tanto philoſoſopho iudicium non ſumturum: nedum ulla ratione eius autoritatem aut decreta infirmaturum aut detrectaturum: tandem breuiarium prædictæ inſtitutionis conſcribere eſt permiſſum. In quo ſummatim collectis & ſubductis neceſſarijs: peregrinis tanquam calceorum quos paramus præſegminibus reſectis, quid fuerit ſophiſtis propoſitum ediſſeretur. Quibus ex locis & domicilijs ea petiuerunt media, quæ ad conſequendum propoſitum finem uſurparunt. Et ad extremum quo pacto eorum inſidioſæ ſimulationes ſint euitandæ: ne ijs tanquam laqueis capti & irretiti, nimis ſerò in ipſo facto aut poſt factum conſilia capientes à uerò prohibeamur. Fidem itaq; datam, ut eò felicius ſine dolo malo liberem: Methodum Ariſtotelicam inuiolatam ſeruabo: uerbaq; interpretum, qui meritò Soldurij propter fidelitatem dici merentur, bona fide repreſentabo: omnibus omnem de me conquerendi occaſionem, ne minima quidem perfidiæ data ſuſpicione, præciſurus.*

DE FINE SOPHISTARVM.

CAPVT I.

QVINQVE conabantur Sophiſtæ imprimis in diſputando conſequi: quorum tria ſunt rerum & ſcientiæ: quartum & quintum orationis & ſermonis. Aut enim conabantur diſputatorẽ cogere ad concedendum contrarium ſuæ ſententiæ & pugnans: aut falſum: aut aliquid contra hominũ opinionem: aut barbarum in oratione proloqui: aut in loquendo ineptire, & in eadem re diutius aberrare. Hi fines græcis nominibus Ariſtoteli appellantur ἔλεγχος, ψεῦδος, παράδοξον, σολοικισμός, ἀδολεσχία: Reprehenſio, Falſitas, Inopinabile, Solœciſmus, Nugatio.

Huiuſmodi quinque partito officio, ſapientiæ opinionem comparare ſtudebãt, & ſequi magis eam opinionem quam ipſam ſapientiam uidebantur.

De Elenchi, primi ſophiſtarum finis, definitione, & diuiſione. Cap. II.

ELenchus eſt ratiocinatio, qua aliquid efficitur, quod ei, quod propoſitum eſt, aut ab altero fuit affirmatũ, ſit contrarium.

Sed quia tàm falſò quàm uerè aliorum ſententias reprehendimus, factũ eſt qđ Ariſtoteles uocabulo Elenchi ſeu reprehẽſionis generali, uſus ſit ſpecialiter, pro reprehenſione captioſa. Diuiduntur aũt Elenchi in Elenchos παρὰ τὴν λέξιν circa dictionem, ut ὁμωνυμία: ἀμφιβολία: σύνθεσις: διαίρεσις: προσῳδία: χῆμα τῆς λέξεως: Verbi multiplex poteſtas: uerborum ambiguitas: Connexio: Diſtinctio: Accentus: Figura: & ἔξω τῆς λέξεως extra dictionem, ut παρὰ τὸ συμβεβηκός· τὸ ἁπλῶς ἢ μὴ ἁπλῶς: παρὰ τὴν τοῦ ἐλέγχου ἄγνοιαν: παρὰ τὸ ἑπόμενον.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

μένον: παρὰ τὸ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν: τὸ παρὰ, τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον τι θέναι: παρὰ τὸ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν: nam fit fallacia re fortuita: notatione partis circumſtantiæúe, & ſimplici con ſideratione: ignoratione Elenchi: conſequente: repetitione principij: ex non cauſſa, quaſi ex cauſſa: aut pro una, interrogatione multiplici.

De Elenchis circa dictionem ſeu in verbis.
Cap. III.

I. Ὁμωνυμία ſeu uerbi multiplex poteſtas, eſt cum pluribus rebus diuerſis eadem appellatio attribuitur: ut,

Quod facere oportet eſt bonum:
Atqui ſæpe vſu venit vt mala facere oporteat:
Ergo quoddam malum eſt bonum: & aduerſa de eodem recte prædicari poſſunt.

II. ἀμφιβολία ambiguitas uerborum coniunctorum eſt, cum uerborum aut collatione, aut ambigua interpretatione in errorem delabimur: Vt,

Quod quis videt, illud ipſum videt:
Columnam videt quiſpiam:
Ergo columna videt.

III. σύνθεσις compoſitio eſt mendoſa, eorum quæ ſeparanda erant, alieno in loco connexio & coniunctio.

Poßibile eſt eum qui non ſcribit poſſe ſcribere:
Ergo vno & eodem tempore poteſt aliquis cõtradictoria vera facere: ſcribere & non ſcribere:

IV. διαίρεσις diſtinctio, eſt uitioſa in oratione coniungendorum diſtinctio.

Quorumcunq; virum Achilles centum reliquit, illi erant centum & amplius:

 At

At quinquaginta virum centum reliquit:
Ergo quinquaginta ſunt centum & amplius.

V. προσῳδία accentus eſt, cum uariato uocabuli accentu & ſcriptura, uis quoq; & ſignificatio uariata ambiguitatē pariat. Exemplo eſt uerſus Homeri Iliad. 23: ex quo licet, propter mutatum accentum, contrarium ſentētiæ autoris inferre.

ἣ δρυὸς ἣ πεύκης, τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ
Ergo pars Piceæ arboris pluuia corrumpitur.

VI. σχῆμα τῆς λέξεως figura dictionis eſt, quando res diuerſæ eodem dicendi genere ac forma, propter ſimilitudinem aliquam, exprimuntur.

Valere idem ſignificat quod ſecare, ædificare:
Atqui ædificare & ſecare actionem ſignificant:
Ergo valere etiam actionem ſignificat.

Hæ ſunt in uerbis inſidioſæ ſimulationes: ſequuntur ſententiarum ſeu rerum inſidiæ.

De Elenchis extra dictionem: ſeu in rebus.
Cap. IV.

I. ΠΑρὰ τὸ συμβεβηκὸς ſeu rerum fortuitarum atq; accidentium eſt, cum promiſcuè accidenti tribuuntur, quæ ſunt ſolius ſubiecti: & contrà ſubiecto, quæ ſunt accidentium.

Coriſcus diuerſus eſt à Socrate:
Atqui Socrates eſt homo:
Ergo Coriſcus non eſt homo.

II. τὸ ἁπλῶς ἢ μὴ ἁπλῶς à notatione partis circumſtantiæúe & notatione ſimplici eſt, cum id quòd cum cautione & exceptione aliqua uerum ſit: ea detracta, ſimpliciter uerum proferatur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

Indus eſt niger: & albus dentes:
Ergo eſt niger & albus.

III. παρὰ τὴν ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου ignoratio Elenchi, cum aliqua earum conditionum quæ in Elencho & contradictione requiruntur, intermiſſa eſt.

Duo ſunt ad vnum dupla: ad tria non dupla:
Ergo ſunt dupla & nō dupla: cōtradictoriaq́ſ ſunt vera.

IV. παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν ex repetitione principij eſt, cum principium ſeu quæſtio non probatur, quod tamen ſe facturum fidem dedit ſophiſta: ſed allatis æque obſcuris, aut eodem prorſus per ſynonimiam repetito, ſuis uerbis fidem adhiberi poſtulat. Obſcuritatis exemplum eſt apud Ciceronem (nam hoc loco ab Ariſtotele nullum adfertur) 2. de Diuinatione: Quid enim, inquit, mea cauſſa me mones quod non intelligam? Quid igitur me mones? Vt ſi medicus ægroto imperet, ut ſumat,

Terrigenam, herbigradam, domiportam, ſanguine caſſam.

Potius quam hominum more, cochleam dicat?

V. παρὰ τὸ ἑπόμενον ex uitioſo conſequente eſt, cum putatur conſequens commutari & conuerti cum antecedente ſed falſò. Rectè enim ſequitur:

Pluit: Ergo humida fiet terra.

Hunc ſyllogiſmum ſi conuertat ſophiſta cōmittet elenchum ex conſequente falſo:

Terra eſt humida:
Ergo pluit.

VI. τὸ παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον τιθέναι ex non cauſſa quaſi ex cauſſa fit, quando ἀναίτιον ſeu non cauſſa, ex ſe infert quidem concluſionem, non tamen eam, quæ euertere poteſt id, quod in quæſtione poſitum erat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

Si aduerſatur omninò ortus interitui: etiam cuidam interitui quidam ortus, aduerſatur.

At mors quæ uitæ aduerſatur eſt interitus quidam.

Erit igitur vita quidam ortus: & viuere gigni ac oriri: quod abſurdum eſt: & deinde etiam hoc, vitam & animam idem eſſe.

V I I. παρὰ τὸ, τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν ex multiplici interrogatione una facta, eſt, cum ad plura ſophiſtæ interrogata una reſponſio adfertur: tum enim ſemper ſophiſtis cauillandi occaſio offeretur: Vt, conceſsis & poſitis q̄buſdā rebus malis & bonis, ſi interrogâris ſint ne eæ res bonę uel malæ: utrūuis unica reſpōſione reſpōderis capieris.

Atq; hæc ſunt de primo ſophiſtarum ſine Elencho, eius definitione & diuiſione: ſequitur ſecundus & tertius finis ψεῦδος καὶ παράδοξον.

De Secundo & tertio fine ſophiſtarum: Falſitate & Inopinabili. Cap. V.

Ψεῦδος falſum eſt, cum id quod non eſt, eſſe affirmatur: aut cum eſt, eſſe negatur.

παράδοξον inopinatum eſt, quod cum ſit aut non ſit, opinioni tamen hominum repugnat, & non facile creditur. Differunt itaque ψεῦδος καὶ παράδοξον ſola χέσει: ſubiecto conueniunt. Qđ rebus collatū unū & idem ψεῦδος uocetur: intellectui παράδοξον.

Hûc, primo deſtituti fine, ſophiſtæ confugiunt, ut aduerſarium deducant ad tale quidpiam admittendum: quo poſtea eius apud auditores gratiā extinguant & corrūpant.

De Quarto ſophiſtarum fine, Nugatione Cap. VI.

Ἀδολεσχία nugatio eſt, cum ſophiſtæ eò aduerſarium deferre conantur, ut nugetur: & ſibi unam eandēq; rem,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

rem, una eademq́ue uoce ridiculè probare & interpretari uideatur: Vt, ſi quis dicat duplum dimidij: bis idem dicit: Nam duplum per ſe eſt dimidij. Itaq́ue qui dicit duplum dimidij, perinde eſt ac dicat, dimidij, dimidij duplum.

De Quinto ſophiſtarum fine, ſolœciſmo.
Cap. VII.

Σολοικισμὸς ſolœciſmus eſt, cum ſophiſtæ aduerſarium ullo pacto barbarum loquendi genus uſum declarant: aut eum ad id patrandum compellũt: Vt, interrogatus quid hoc ſit, Tria reſpõderi poſſunt, Calliope, Lignum, Coriſcus. Verum ſi aut in fœminino aut maſculino genere de Calliope aut Coriſco reſponſum dederis: conclamabit, manibus & pedibus cõplodens, ſophiſta, commiſſum ſolœciſmum in genere.

Hæc ſunt Ariſtotelis decreta de ijs quæ ſophiſtæ propoſita habent: de medijs quorum συμμαχία ad propoſitum progrediuntur: reliquũ eſt de modo reſoluendi eorũ inſidioſas ſimulationes, ne illaqueati à ueritate excludamur.

De Ratione reſoluendi & effugiendi inſidioſas ſimulationes, quid ſit: & quotuplex.
Cap. VIII.

NEmini poteſt dubium eſſe, cognita uocum interpretatione & notatione, quin λύσις σοφιστικῶν ἐλέγχων ſolutio ſophiſtarum inſidiarum ſit explicatio earũ rerum, in quibus uitium ſeu fraus ſophiſtarum lateat. Quo facto, fallaciaq́ue indicata ſine moleſtia ſophiſtam liberè malæ fidei inſimulare poterimus: eumq́ue in odium traducere, ut amplius negotium nobis minimè faceſſere aggrediatur.

Duo autem ſunt potiſsimũ λύσεως huius modi: πρὸς τὸν ἄνθρωπον καὶ πρὸς λόγον: ad perſonam, & rem.

Solutio ad perſonam magis ad opinionem & ad gratiã

auditorum conciliandam, quàm ad rerum obſcuritatem eruendam accomodatur. Cum enim ſophiſtam non reapſe noſtram ſententiam impugnare: aut falſum omninò eius ſyllogiſmum eſſe oratione aſſequimur, monſtrata contradictione aut impoſsibilitate: eum propter ſuæ artis abuſum in odium apud auditores traducimus: idq; hoc præcipuè nomine, quod per cauſſam ueritatis tàm ijs quàm nobis fumum uendere decreuerat: nosq; dignos in quibus ludos iocosq; exerceret, iudicauerat. Hæc ratio ſoluendi nullis præceptis tradenda eſt: ſed in ſingulis artibus tales ſolutiones generales per contradictionem & impoſsibilitatem ſunt & eſſe poſſunt.

Solutio ad rem non ſolum per contradicentis ſententiæ ueritatem, aut per impoſsibilem ſententiam ſophiſtæ fallacem ſyllogiſmum indicat: uerumetiam, ipſum nodum Gorgonium reſoluendo, patefacit quibus in rebus hæc deceptio & dolus ſita ſit & unde petita.

Cum itaq; σοφιστικῶν λόγων uariæ ſint ſpecies ut ex præcedentibus conſtat: rationes ſoluendi totidē erunt. In quibus rationibus omnibus (cum contrariorum cõtraria ſint conſequentia: & contraria contrarijs curentur) lex contrariorum tanq; norma Lesbia eſſe propoſita debet: qua duce ſpeciales ſpecialium Elenchorum ſoluendorum rationes ſic delineabuntur.

De Ratione ſoluendi inſidioſas ſimulationes ſeu vitia primi finis ſophiſtarum. Cap. VIII.

MVltiplicitas uocis, & orationis Ambiguitas ut confuſione errorem & uitium pariunt: ſic diſtinctione adhibita error & fraus tollitur. Si enim tua diſtinctione aſſecutus fueris in exemplo prius de multiplicitate uocis allato, uocabulum τὸ δέον *oportet*, in propoſitione quod

bonum

bonum ſit noſtroq́; officio conſentaneum in aſſumtione ſignificare illud quod neceſſe eſt: & promiſcuè ad bona malaq́; referri, dubium ſublatum eſt, hydræq́; ſophiſticæ ademtum nocendi robur & uirus. Ambiguitatis orationis exemplum ſimiliter à uitio liberatur: ſi quo pacto loquendi forma: *Illud ipſum videt:* uarias recipiat conſtructiones & ſententias in accuſatiuo & nominatiuo poſita, oſtenderis: quarum una uera altera falſa iudicata ſit.

Elencho ex compoſitione occurrendum eſt diuiſione & diſtinctione eorum quæ peruerſè coniunguntur. Multa enim ſeparatim uerè dicũtur, quæ coniuncto ſenſu ſunt falſa. Sic in compoſitionis exemplo ſi de diuerſis temporibus audiri uelis *non ſcribentem poſſe ſcribere*, uera dixeris: ſi de eodem temporis ueſtigio, cõtradictoria & diſſentanea malè dixeris.

Elencho ex diuiſione iniqua compoſitio iuſta obuiam uenit. Diſtingue enim uerſum hunc in aſſumtione conſtitutum πεντήκοντα ἀνδρῶν ἑκατὸν λίπε δῖος ἀχιλλεύς. *Quinquaginta virum centum liquit diuus Achilles.* Coniunctis enim omnibus, appoſita uirgula, quæ ſequuntur *quinquaginta*, ſenſus erit: Achilles è uiris centum liquit quinquaginta. Eadem uirgula ſubiuncta *virum*, ſenſum falſum hunc efficiet: E` quinquaginta uiris Achilles liquit centum.

Accentus Elencho medeberis contrario. Si itaq; accentus legitimus abſit eum reſtitue: nothum et illegitimũ contra ſemouendo. His enim mutatis aut uno pro alio repoſitis ſententiæ immutantur. Documento prius fuit carmen Homericum,

ἡ δρυὸς ἢ πεύκης, τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ.

Hîc dum legas οὐ ſenſus erit nullam partem piceæ arboris imbre computreſcere. Mutata lectione & pro οὐ repoſi-

to ꝺ̃ ſenſus erit contrarius: cuius arboris pars quędam plu uia computreſcit: quod abſurdũ in Philoſophia damnaт̃.

Figuræ dictionis Elenchus refutatur, explorata & explicata dicendi formula in qualibet lingua. Nõ enim quia *Valere* idem ſignificat quòd ædificare aut ſecare propterea ſemper & omni in loco actionem denotabit eandemq́ uim retinebit.

Hoc pacto aduerſus Elenchos in dictione ſiue ſimplici ſiue compoſita itur: reliquũ caput eſt contra eos qui ſunt extra dictionem.

Elenchus accidentis ſoluitur, ſi diſtinctione explicetur alia per ſe alia per accidens rebus attribui: quibus confuſis uitium & peccatum committitur. Quare ſophiſticè quòd ſolius accidẽtis eſt, Socratem à Coriſco diuerſum eſſe, ſubſtantiæ & ſubiecto in complexione attribuitur.

Elenchus à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter reſoluendus eſt ſimiliter ſeparatione eorum quæ confunduntur. Explicato itaq; in exemplo Indum ſecũdum quid & ſolis dentibus album: non rectè ſimpliciter & abſolutè album dici, & contradictionem unà ſuſtuleris. Nõ enim ſibi contradicunt quod dentes albeſcant: reliquę partes nigro ſint colore tinctæ: nam ad idem non ſunt.

Fraus ex Elenchi ignoratione proueniens tolletur, ut præcedens, diſtinctione. Conare itaq;, oratione tua obtinere aduerſarium aliam à te ſententiam præ ſe ferre: & nihilominus utramq́ confundere: ut tibi imponat. Sic duò ad unũ collata dupla ſunt: ad tria collata nõ ſunt dupla: nec tamen propterea contradictoria aſſeruntur, cùm ad diuerſa reſpectus contradictionem non ſtatuat.

Petitionem principij refutamus negatione. Petito enim ab aduerſario principio & quæſtione aut iterata uerbis, aut per Synonimiam: reſponde te non confirmatæ, aut in dubio

dubio relictæ ſententiæ neutiquam fidem adhibiturum: ſed monere aduerſariũ de firmiore probatione. At ſi paullo modeſtior uideri cupis, ſecundum Ciceronem reſponde. Non intelligo. Quod etiã monet noſter Philoſophus 3. cap. 8. Top. οὐ μανθάνω.

Elencho ex uitioſo conſequente reſiſti debet negando aduerſarium legitimè uſum præceptis dialecticis de ſyllogiſmorum conſequentijs: rationeq; abuſus adiuncta: Vt, non eſt ulla conſequentiæ ratio, pluiſſe aut pluere, quia humida ſit terra. Poterat enim alia quauis de cauſſa hanc accepiſſe humiditatem. Nec certè effecto poſito quæuis ſine circumſpectione cauſſa ei aſcribenda eſt.

A non cauſſa ut cauſſa Elenchus euitatur demonſtrando falſam cauſſam pro uera allatam. Quamuis enim in exemplo propoſito inferebatur abſurdum uitam eſſe ortũ & uiuere oriri: nõ tamen ex ea cauſſa quia anima & uita ſunt unum & idem, ſed ex alijs præmiſsis id cõſequutũ eſt: cum quæſtione ſublata idẽ abſurdũ ex præmiſsis extrueretur.

Elencho qui fit per coniunctionem plurium interrogatorum in unica reſponſione, occurrendum eſt, per eorundem diſtinctionem, & ad ſingula ſpecialem reſpõſionem: ut interrogatorum numerus cum reſponſionibus conueniat. Reſpondendum itaq; in exemplo propoſito non confuſè *Ita* aut *Non*: ſed, diſtinctis interrogationibus, cuilibet parti ſua danda reſponſio: dicendumq; partim eſſe bonas partim malas. Hactenus de Elenchorum reſolutionibus: proximè ſequitur quartus propoſitus ſophiſtæ finis ἀδολεσχία nugatio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

De Ratione ſoluendi nugationis, quarti ſophiſtarum finis, inſidioſas ſimulationes. Cap. IX.

AD quartum ſophiſtarum finem Nugationē, ſi ſophiſta nos nugari increpitauerit, reſpondendum eſt: nō eſſe nugas coniunctim obſcurè dicta planius exponere. Quod enim potentia definitum, aut uocabulum relatiuum ſignificabant obſcurè: id definitio & correlatiuū additum clarius indicat: quod nugari non eſt ſed rei obſcuræ lucem addere. Cautio tamen & prudens circumſpectio hîc requiruntur: ne in nugationem explicatio dilabatur.

De Ratione ſoluendi ſolœciſmi, vltimi ſophiſtarum finis, inſidioſas ſimulationes. Cap. X.

CVm perturbando caſus, genera, perſonas, reliquaꝗ́ grammaticalia orationis adiuncta, te in aliam à propoſito ſententiam aut in odium auditorum traducere uult aduerſarius: tu contra reſponde ſecundum præcepta grammatica: eiusꝗ errori tuam prudētiam opponito. Sic in priori exemplo interrogatus quid hoc ſit, ſuam cuilibet parti reſponſionem iuxta grammaticorum decreta attribuito.

Atqꝫ hæc breuiter habui ex Ariſtoteleis fontibus dicere de inſidioſis ſimulationibus, easꝗ́ euitandi ratione, ſecundum ſophiſtarū fines quos Ariſtoteles expoſuit. Sed quia Ariſtoteles ψεῦδος καὶ παράδοξον ſecundum & tertium ſophiſtarum fines, aut cōſilio aut caſu neglexit: placuit de induſtria, rationes eas euitandi, reticere.

P. RAMI

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

P. RAMI INSTITVTIONIS, DVOBVS *libris comprehenſæ, de inſidioſis ſimulationibus ſophiſtarum, breuiarium.*

ARGVMENTVM.

POſt Ariſtotelicam de ſophiſtarum inſidijs inſtitutionem, ut fidem dedi, ſequetur Ramea. Rami autem quale nam fuerit ſuper hac re iudicium ex eius ſcirptis ſatis eſt exploratum. Manibus pedibusq; interceßit, ne hæc doctrina de uitijs in artibus locum retineret: quod nullum de uitijs præceptum in uirtutis explicatione ſit homogeneum. Immò rectum ipſum index eſt ſui & obliqui: nec uirtutis definitio probanda eſt, niſi ſit hinc etiam manifeſta cognitio uitij. Poſtea tamen permotus utilitatibus quas Ariſtoteles hic latere arbitratus eſt: ipſiusq; Ariſtotelis autoritate, ſuam de hac inſtitutione ſententiam certis diſtinctam capitibus, ſcholis coronidis loco inſeruit: quæ ſummatim colligenda & generatim componenda nobis erit: ea ſtipulata fide, quam in Ariſtotele ſeruauimus. Primum itaq; locum, iure ſuo, definitio Elenchi ſibi arrogat: cui proximè adponi uult & debet diuiſio Elenchorum. Huius ſubdiuiſiones & membra, poſtea eadem Methodi lege, per definitiones & exempla, ſuo loco & tempore explicabuntur. Ad extremum ratio euitandi hos Elenchos capita ſingula claudit. Atque hæc Ramea methodus: ut natura prius præcedat: ſi à nobis non ſolum in tota hac inſtitutione, uerum etiam in ſingulis capitibus obſeruetur, lectoris iudicium eſto.

PRIMI LIBRI BREVIARIVM.

QVID SIT ELENCHVS: *& Quotuplex.* *Cap. I.*

VT alij pulcritudine pulcri ſunt: alij uerò fuco tantum quo ſeipſos fucant: quòd & in rebus inanimis ſimiliter accidit: in his ſiquidē aliud argentum, aliud aurum eſt reuera: aliud uero nequaquam ſed iudicio tantum ſenſus appa-ret, ut lithargyrina & ſtannea, quæ argentea: & felle infecta quæ aurea uidentur: ſic in diſputationibus, aliæ ſunt tales quales apparent: aliæ fallaces & captioſæ ſunt, & uidentur tantum ueræ, διὰ τὴν ἀπειρίαν propter inexperiētiam. Hinc oritur ſophiſtice ſimulata quidē at nō uera ſapientia: & ſo-phiſtes quæſtum faciens è non uera ſed ficta ſapientia. Vi-tium igitur logicum appellatur ex illa ſophiſticę definitio-ne ſophiſma. Hinc σοφιστικὸν καὶ σοφισματῶδες & ἀπάτη ca-ptio: hinc παραλογισμὸς fallax concluſio: hinc παραλογιστι-κόν, ἔλεγχος σοφιστικός, reprchenſio ſophiſtica ſententiam no ſtram inſidioſè oppugnans & reprehendens: quo etiā no-mine liber de logicis uitijs inſcriptus eſt. Ac quamuis E-lenchus reprehenſionem tam fallacem quam ueram ſigni-ficat: attamen pro captioſa ſpecialiter hîc ſumitur, ut prius admonitum eſt.

Elenchi ſunt alij circa dictionem, alij extra dictionem. Qui circa dictionem ſunt pro dictionis uarietate multi: alij dictionis ſimplicis, alij coniunctæ. Simplicis dictionis ſunt, inſolentia, homonymia, metaphora.

De Elencho inuſitatæ dictionis. *Cap. II.*

INſolentia dictionis impedit rerum intelligentiam & iu-dicium conturbat: ideo inter peccata problematis ſta-tuitur, uſitatam dictionem contemnere. Huius uitij exem-

plum

plum eſt illud de Siſenna in Bruto Ciceronis. Siſenna autē quaſi emendator ſermonis uſitati cum eſſe uellet, ne C. Ruſio acccuſatore deterreri potuit, quominus uſitatis uerbis uteretur. Quid'nam iſtud inquit Brutus, aut quis eſt iſte C. Ruſius? Et ille fuit accuſator (inqt) uetus, quo accuſante Chirtilium, Siſenna defendens dixit quædam eius ſputatilicia eſſe crimina. Tum C. Ruſius: Circumuenior (inquit) iudices niſi ſubuenitis. Siſenna quid dicas neſcio: metuo inſidias. Sputatilicia quid hoc eſt? Sputa quid ſit ſcio: tilicia neſcio. Maximi riſus: ſed ille tamen familiaris meus, rectè loqui putabat eſſe inuſitatè loqui.

Atq; in hoc elencho propter obſcuritatem dicēdum eſt, non intelligo: ut hoc Ruſiano monemur exemplo.

De Elencho homonymiæ. Cap. III.

HOmonyma hîc dicuntur ipſa uerba, res diuerſis nominib. ſignificātia. Hinc in diſputatione qui uerborum uim neſciūt fallunt: ſiue ipſi diſputēt ſiue diſputantes audiant: ſi in eadem oratione diſſimiliter idem uerbum intelligatur. Sic Martialis libro ſecundo de Paullo:

Carmina Paullus emit, recitat ſua Carmina Paullus:
Nam quod emas, poßis dicere iure tuum.

Aduerſus tantam Hydram remedium diuiſionis & diſtinctionis unicum ualebit.

——*Recitat ſua carmina Paullus,*

Diſtingue *ſua*, uel quæ fecit uel quæ emit: & ambiguitatem euitaſti. Ramo huc refertur accentus uitium: de quo in uitijs Ariſtotelicis dictum eſt.

De Elencho Metaphoræ. Cap. IV.

MEtaphora propriè accepto uocabulo eſt quando ex ſimili ſignificat ſimile. Hæc ſi obſcura, inuſitata aut lōgius petita uideatur, ſæpius diſputatores perturbat: quia

oratio

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

oratio diſputantium debet eſſe perſpicua, & proprijs uerbis, ad explicandum animi ſenſum, compoſita: ut Reipublicę tēpeſtas: patriæ uel urbis ſentina: concionū fluctus.

Hinc ſi turbetur aut offendatur aliquis, ad diſtinctionis auxilium ſimiliter confugiet: ut propria & modificata oratio diuidantur. Sic patebit aliud eſſe tempeſtatis uocabulum de Republica quàm propriè prolatum, &c.

De Elencho Amphiboliæ. Cap. V.

SImplicis dictionis Elenchos, ſequuntur coniunctæ dictionis Elenchi, Amphiboliæ, & Expoſitionis.

Amphibolia eſt ambiguitas orationis: non è uerborum ſignificatione, ſed è ſyntaxi deducta: ut,

Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe.

Qua ambiguitate deceptus eſt Pyrrhus, bello aduerſus Romanos ſuſcepto.

Soluitur autem Amphibolia diuiſione ſententiarum: ut homonymia diuiſione ſignificationum.

Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.

Diſtingue uel ꝙ Aeacides poſsit Romanos uincere: uel quod Romani Aeacidem.

Ad hanc fallaciam ex ſententia Rami referēdæ ſunt quę ex compoſitione & diuiſione dicuntur, de quibus tamen apud Ariſtotelem diximus.

De Elencho expoſitionis. Cap. VI.

PEr hanc fallaciam frequenter errare contingit: quia nō rectè exponantur ſecundum propoſitionem termini: ut, ſi nunc habitus, nunc δεκτικοῦ ſuſceptiui uocabula ponantur.

Nulla ægritudo poteſt eſſe ſanitas:
Homo eſt ægritudinis capax:
Homo igitur non poteſt eſſe ſanus.

Videtur

Videtur concluſio ſyllogiſtica eſſe:at fallacia eſt. Huius uerò cauſſa eſt, quia non apta dictione termini exponantur:qui ſi aptè exponantur concluſio non procedet.

Nullus æger poteſt eſſe ſanus:
Homo eſt æger:
Ergo homo non poteſt eſſe ſanus.

Propoſitio falſa erit:nec ultra in terminis corrigendis laborandum erit.

In hoc Elencho ſolutio erit ſecundũ oppoſitum:ut prius doctum eſt:& notiore expoſitione deterior corrigetur:aut quod inuſitatæ,idẽ prauæ orationi,dicetur: *non intelligo.*

De Elencho petiti eius quod erat in principio. Cap. VII.

HAec dicta ſunt de Elenchis tum ſimplicis tum cõiunctæ dictionis : qui Grãmaticæ & Rhetoricæ propriè uitia ſunt. Elenchi extra dictionem porrò explicandi ſunt:qui Logicæ uitia ſunt propria. Hæc ſunt aut Inuentionis aut Iudicij. Quæ inuentionis uitia ſunt,aut ſunt generalia aut ſpecialia.Generalia ſunt duo: petitio eius quod fuit in principio,& Redundantia.

Petitio principij eſt ſi per ignotiora aut æque ignota diſputatio fiat. Manifeſtiſsimẽ uerò & ſtatim petitur: quando idem prorſus petitur,ut in ſynonymis.

Obſcuritatis exemplum nobile eſt apud Ciceronem ſecundo de diuinatione : quod in Ariſtotele ad hunc Elenchum allatum eſt.

Ad hanc itaque fallaciam etiam reſpondendum eſt: *non intelligo.*

De Elencho Heterogeniæ. Cap. IIX.

REdundantia ſeu ſuperuacuum definitur, quo remoto,reliquum nihilominus eſt perfectum.Redundan-

tię ſpecies duę inſignes ſunt, ἑτερογένεια καὶ ταυτολογία. Nam ſuperuacua res ideo eſt, quia aut aliena eſt per ſe: aut ſi non ſit, tamē quia ſępius iteratur, iteratione ipſa nihil prodeſt.

ἑτερογενὲς, ſeu alienigenum dicitur quod eſt diuerſi generis à ꝓpoſito. Huiuſmodi etiam eſt ſi quid etiam ſit ad propoſitum, non tamen ſecundum propriam diſciplinam: ut, ſi non medica diſputatio uideatur eſſe medica: aut geometrica quæ non ſit geometrica: aut dialectica, nō dialectica, ſiue uerum ſiue falſum ſit quod concluditur.

ἑτερογενείας exemplum feſtiuum eſt apud Martial. lib. 6.

Non de vi, neq; cæde, nec veneno:
Sed lis eſt mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abeſſe furto:
Hoc iudex ſibi poſtulat probari:
Tu Cannas, Mithridaticumq; bellum,
Et periuria punici furoris,
Et Syllas, Mariosq;, Mutiosq;,
Magna voce ſonas, manuq; tota.
Iam dic Poſthume, de tribus capellis.

Ad euitandam ἑτερογένειαν iubemur arithmetica arithmeticè, geometrica geometricè: ceteraq; ſimiliter ſuo tractationis genere tractare. Relinquat poſthumus Syllas, Marios, Mutios & iudici de rebus capellis reſpondeat: ſic reprehenſionem effugiet.

De Elencho Tautologiæ. Cap. IX.

Ταυτολογία eſt ſi ſæpius idem dicitur. ἀδολεσχία nugatio eſt eadem.

Tautologia interdum obſcurior eſt: ut ſi quis dicat duplum dimidij bis idem dicit: nam duplum per ſe eſt dimidij. Itaque qui dicit duplum dimidij, perinde eſt, ac ſi dicat, dimidij, dimidij duplum.

Eadem

Eadem uerò apertior eſt, ſi cum uniuerſale dictum ſit, addatur & particulare: Vt, ſi quis dicat Medicinam eſſe ſcientiam ſalubrium animali & homini. Atq; in hoc toto redundantiæ Elencho dicendum: *nihil ad rem.*

De Elencho τοῦ ἐναντίου. Cap. X.

COmmunibus inuentionis uitijs expoſitis: propria ſingulorum argumentorum ordine exponētur. Fallaces enim cauſſæ & mendaces fingi poſſunt: Item facta & reliqua argumenta falſa pro ueris aſſumi poſſunt.

Falſæ cauſſæ exemplum eſt apud Virgiliũ Aeneidos 2: ubi Sinō falſam cauſſam equi fabricati & in urbem recipiendi ſubdolè proponit.

Hanc pro Palladio moniti pro numine læſo
Effigiem ſtatuêre, nefas quæ triſte piaret:
Hanc tamen immenſam chalcas attollere molem
Roboribus textis, cœloq; reducere iuſsit:
Ne recipi portis aut duci in mœnia poſſet:
Neu populum antiqua ſub relligione tueri.

Ariſtoteles hunc Elēchum ſuo nomine deſignauit: cuius exemplo ſic cogitare poſsimus, non factum pro facto: & falſa pro ueris adhiberi cetera argumenta poſse.

De Elencho effectorum. Cap. XI.

EFfecta ſæpe uitioſa ſimiliter aſſumuntur: tanquam ab alijs ꝓfecta cauſsis. Martialis primo libro de rhetore.

Extemporalis factus eſt meus rhetor:
Calphurnium non ſcripſit & ſalutauit.

Salutare enim quempiam nominatim ac memoriter, extemporalis eloquentiæ effectum nullum eſt: ſed obliuioſi hominis memoriam feſtiúe Martialis notauit. Sic Q. Fabij res geſtæ extenuabātur ab inimicis, & ouiculæ atq; cunctatoris facta dicebantur, cum eſſent boni & prudentis imperatoris.

De Elencho ſubiectorum. Cap. XII.

SVbiectorum uitium frequentiſsimum eſt: quod pluri- mæ artes ſibi id uendicant, quod à ſe alienum eſſe debet. Sic Rhetores inueniendi, diſponendi, ornandi, recordandi, pronunciandi artes ſuæ diſciplinæ ſubijciunt: cum ſit inuentio diſpoſitioq́; dialecticorum: & memoria ſi quid artis habeat, dialecticæ diſpoſitionis quædam ſit umbra.

De Elencho adiunctorum. Cap. XIII.

EX adiunctis frequentior error naſcitur: & uidetur ab Ariſtotele nominatim propoſitus: hinc enim oritur Elenchus, per accidens. Fit autem quando ſimiliter quidlibet putatur rei & accidenti ineſſe. id eſt, ſubiecto & adiuncto. In hoc autem Elencho nullum habet Ramus aliud quam Ariſtotelis exemplum: quare illud ex præcedentibus petendum relinquo.

Hinc originem ſumit Elenchus τοῦ ἑπομένου, conſequentis, nominatim ab Ariſtotele propoſitus: pars enim quædam eſt accidentis conſequens. Huius exẽplũ etiam prius explicatum, ibi petendum moneo.

Sed tamen non omne conſequens eſt ex adiunctis: poteſt enim genus eſſe: & error par erit: Vt,

Si equus homo eſt, animal eſt:
Sed animal eſt:
Homo igitur eſt.

Nec fallacia hæc tantum argumenti, ſed & argumentationis eſt: de ea igitur rurſus in analyſi ſyllogiſmorum.

De Elencho oppoſitorum. Cap. XIV.

OPpoſitorum locus captiones acriores habet: ac ſæpe pro oppoſitis ſumuntur, quę oppoſita non ſunt. Martialis lib. quinto:

Pinxiſti

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

Pinxiſti Venerem colis Artemidore Mineruam:
Et miraris opus diſplicuiſſe tuum.

Hæc non ſunt uerè oppoſita: & ſimul fieri, & tamen opus placere.

Ad huius loci captionem attinent ex parte quadam plures interrogationes. Diſtinctio enim uidetur eſſe uera, quia attributa ſunt contradicentia: at cum generaliter enũciatur utrunque, non neceſſariò uerũ falſumque diuidũt, nec pars altera uerè reſpondetur: nec confuſè reſponderi poteſt.

De Elencho comparatorum. Cap. XV.

EX comparatis ſunt etiam ſuæ captiones. Cicero pro Quintio: Quia quod uirum bonum facere oportebat id loquebatur Næuius: credidit Quintius eum qui orationem bonorum imitaretur, facta quoque imitaturum. Comparantur hîc facta & uerba Næuij in qua comparatione deceptus eſt Quintius. Sic Martialis diſputat à falſis paribus libro 5.

Quod alpha dixi Codre, penulatorum
Te nuper aliqua cùm iocarer charta:
Si fortè bilem mouit hic tibi verſus:
Dices licebit beta me togatorum.

Pária uidentur alpha penulatorum & beta togatorum, quia ſunt affines alphabeti literæ: cum illa tamẽ primũ, hac ſecundum aut nihil ſignificemus.

De Elencho coniugatorum & notationis. Cap. XVI.

COniugata captioſa ſunt, ſed ferẽ aliqua generali cauſſa: ut ambiguitatis. Ouidius 2 de arte amandi.

Aurea nunc verè ſunt ſecula: plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.

Notatio Elenchos frequentes habet. Hinc Ciceronis illud in accuſatorem Balbi, in quo erat accuſatoris interpretatio indigna reſpōſione, qui ita dicebat comiter eſſe communiter, quaſi priſcum aliquod aut inſolitum uerbum, interpretaret. Comes, benigni, faciles, ſuaues homines eſ-dicuntur, qui erranti comiter monſtrant uiam, benignè, nō grauatè: Communiter quidem certè non conuenit.

De Elencho diſtributionis. Cap. XVII.

ELenchus in docendo magnus eſt, diſtributionem nullam adhibere ubi ſit opus. Quod Sophiſma frequens eſt in logici organi autore, artem logicam initio non diſtribuente ubi diſtribuenda eſſet. Hîc primus eſt Elenchus non adhiditæ diſtributionis: ſecundus eſt adbibitæ, ſed ineleganter: cum aut deſit aliquid aut redundet.

Prioris generis exemplum eſt 5 Aeneidos, ubi, ludorū genera quatuor proponūtur, claſsis, curſus, ſagittariorum, pugilum: quintum autem poſtea tametſi non propoſitum deſcribitur, certaminis equeſtris. Locus ſic eſt.

Prima citæ teucris ponam certamina claſsis:
Quiq; pedum curſu valet, & qui viribus audax:
Aut iaculo incedit melior, leuibusq; ſagittis:
Seu crudo fidit pugnam committere cæſtu:
Cuncti adſint, meritaq; exſpectent præmia palmæ.
Ore fauete omnes, & cingite tempora ramis.

Hîc ludos tātum quatuor poëta proponit, præter quos tamen quintum poſtea deſcribit: Atqui partitio hæc equites certatores deceperit, qui ſibi nullum certamen hac partitione propoſitum putent.

Secundi generis exemplum, Cicero ſecūdo de Finibus notauit in Epicuro. Quomodo autem philoſophus loquitur? tria eſſe genera cupiditatum naturales & neceſſarias,

naturales

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

naturales & non neceſſarias, nec naturales nec neceſſarias. Primum diuiſit ineleganter: Duo enim genera quæ erant fecit tria: hoc eſt, nō diuidere ſed frangere rem. Qui ſi diceret, cupiditatum duo eſſe genera, naturales et inanes: naturalium quoq; duo, neceſſarias & non neceſſarias confecta res eſſet.

Atq; hæc generalia uitia diſtributionis: ſpecialia ſunt & diſtributionis propria: cum ex toto ad partem aut contrà uitioſè diſputatur: ut apud Catullum:

Quintia formoſa eſt multis, mihi candida, longa
Recta eſt: hæc ego ſic ſingula confiteor.
Totum illud formoſa nego: nam nulla venuſtas,
Nulla in tam magno corpore mica ſalis.

Hîc uitioſè ex imperfecta partium inductione totum concluditur.

Huc referuntur compoſitionis & diuiſionis uitia: & ea quæ ſimpliciter & non ſimpliciter proferuntur. Sed hæ de integro & membro fallaciæ: de genere & ſpecie una eſt illa inſignis fallacia, ſecundum exiſtimationem, qua fallimur à genere ad ſpecies, aut contra differendo. Vt qui ſcit aliquot ſpecies propria ſcientia & actu, ſi putet uniuerſum & totum rei genus ſibi notum eſſe, fallitur: ſed multò ſæpius & fœdius fallitur, qui putat, cum uniuerſalem ſcientiam habeat, ideo ſcientiam ſibi propriam & actu adeſſe. Atqui longe aliud eſt, libros lectitaſſe & in ijs uniuerſales & generales regulas didiciſſe: aliud in ſingularibus exemplis omni genere meditationis exercuiſſe.

De Elencho definitionis. *Cap. XIIX.*

DEfinitionis Elenchus primus eſt, ut diſtributionis, ſi nulla ſit, ubi eſſe debeat: quo genere Sophiſmatis infiniti in diſciplinis loci obſcuri ſunt. Definitio falſa omninò re-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

nõ reprehenditur. Cicero prima Philippica. Illud magis uereor, ne ignorans uerum iter gloriæ, glorioſum putes plus te unũ poſſe, quam omnes: & metui à ciuibus quam diligi malis: quod ſi putas totam ignoras uiam gloriæ. Ariſtoteles hic duo præcipua uitia notauit, obſcurum & ſuperuacuum, quæ tamen communia ſunt.

De Elencho teſtimonij. Cap. XIX.

ET Teſtimonijs porro quam multa ſint mendacia, quam multiplices errores, quam quotidiana periuria, quid oratio longior exprimenda eſt? Pro tanto autem uitio non tradenda præcepta, ſed uota facienda ſunt: ut homines potius ratione & ueritate, quam autoritate & teſtimonio ad iudicandum moueantur: falſiq; teſtimonij cauſſæ ueri teſtimonij cauſsis oppoſitæ uideantur. Verum teſtimonium ſapientia, probitate, beneuolentia teſtis perpenditur: falſum igitur ignorantia, improbitate, maleuolentia, perpendatur: quoniam omnium Captionum ſecundum oppoſitum ſolutio erit.

SECVN-

SECVNDI LIBRI BREVIARIVM.

De Elencho enunciationis falſæ.
Cap. I.

ADhuc inuentionis Elenchi generales & ſpeciales ſunt expoſiti: ſequuntur Elenchi diſpoſitionis: ac primum enũciationis ad cuius partes pertinent elenchi ſingulorum argumentorum: ex ijs enim conficitur enunciatio.

Cum uerò falſa enunciatio pro uera probatur fit hic elenchus ſola negatione ſimplici refellendus.

De Elencho enunciationis affirmatæ & negatæ. Cap. II.

ELenchus hic eſt cum affirmatio pro negatione aut contra ſumitur. Huius exempla notiora ſunt in omnibus linguis & artibus: quam ueritas aut patitur aut poſtulat.

De Elencho enunciationis generalis & ſpecialis. Cap. III.

COmmunis propoſitio generaliter aut ſpecialiter intelligitur, licet ſignum generalis aut ſpecialis intellectus nullum ſit: Vt, omnes omnium artium regulæ generaliter intelliguntur quamuis generalis ſignificationis nota in his nulla ſit. Dialectica eſt uirtus bene diſſerendi: de omni dialectica intelligitur: non de Platonis aut Ariſtotelis dialectica. Quando autem commune nomen ſpecialiter accipiendum ſit, uſus loquendi & ſynecdoche tropus rhetoricus docebit: cum genus nempe pro ſpecie ſumetur: Vt, ſine dubio perdidimus hominẽ magnificeq́ uicimus. Generali nomine Cicero Catilinam ſignificauit. Attamen

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

quia commune nomen nec generali nec ſpeciali nota addita, poſsit interdum ab alio generaliter, ab alio ſpecialiter accipi: diligenter cauendum erit ne ἀδιορισία decipiat.

De Elencho coniunctæ & oppoſitæ enunciationis. Cap. IIII.

ELenchus in enũciatione copulata uix accidit, ad cuius ueritatem partium ueritas, ſufficit: at in diſiũcta & cõnexa nequaquam ſufficit: quare illic ſæpe Elenchus committit: uidelicet quãdo in diſiũcta non ſunt partes uerè oppoſitæ: In connexa non ſit neceſſaria partium connexio. Ad diſiunctæ itaq; enunciationis cautionẽ illa in definiendis oppoſitis notata, hũc ſunt adferenda: ut oppoſitio ſit eiuſdem & unius, non nominis, ſed rei: ſecundum idem: ad idem: eodem modo: & eodem tempore.

Socrates diſſerit:
Socrates non tacet.

Non eſt oppoſitio quia non eſt eiuſdem. Ad coniunctæ enunciationis Elenchũ uitandũ perpendenda ſunt ea: quæ ſunt in argumentis conſentaneis à Ramo propoſita: Vt, illud comici: Pamphile ſi id facis hodie poſtremum me uides. Hanc propoſitionem, cum nõ ſit partium neceſſaria connexio, non auſim ueram prædicare.

De Paralogiſmo ſyllogiſmi ſimplicis. Cap. V.

ELenchus ſyllogiſmi paralogiſm9 ꝓpriẽ dictus: fit ex diſpoſitionis ignorãtia: cum per ſyllogiſmũ falſa eſt deceptio. Ordinis igitur in generibus magna cautio & prouiſio eſſe debuerit: hinc enim paralogiſmi cauſſæ ſunt in omnibus ſyllogiſmorum generibus.

In ſyllogiſmis ſimplicibus & communibus duę ſunt fallaciæ

laciæ communes. Oportet enim in omnibus categoricum quendam ineſſe terminum: & uniuerſaliter ineſſe. Nam ex omnibus ſpecialibus aut negatis nullus communis ſyllogiſmus in ulla figura ſimplici cõcluditur.

Nullus equus eſt rationalis:
Nullus homo eſt equus:
Nullus igitur homo eſt rationalis.

Eſt ἀσυλλόγιστον: quia propoſitiones ambæ negantur: & medium nuſquam eſt categoricum. Idem eſt in reliquis Figuris.

Aliquod animal eſt irrationale:
Aliquis homo eſt animal:
Aliquis igitur homo eſt irrationalis.

Eſt ἀσυλλόγιστον: quia medium nuſquam eſt catholicum. Idemq; in reliquis, figuris accidit. Atq; hæ omnium ſpecierũ cõmunes Fallacię ſunt: ſingularum propriæ ſunt quę ſequuntur. In contracto ſyllogiſmo Rami, nullus eſt ſyllogiſmus aſſumtione negata: Vt,

Omne animal ſentit:
Aliquod animal non eſt homo:
Aliquis igitur homo non ſentit.

In prima ſpecie ſyllogiſmi explicati ex omnibus affirmatis aut propoſitione ſpeciali concluditur ἀσυλλογίστως.

Quod ratione utitur, melius eſt, quàm quod
ratione non vtitur:
Nihil autem mundo melius:
Ratione igitur mundus utitur.

Sophiſma & Elenchus eſt in ſyllogiſmo ꝓpter partes omnes affirmatas: aſſumtio enim affirmata eſt: & ualet hãc, Mundus eſt optimus.

E propoſitione ſpeciali eſt illud obiectum Diogeni.

Quod non amiſiſti habes:
Cornua non amiſiſti:
Cornua igitur habes.

In propoſitione uitium eſt: nam ſi ſit uniuerſalis falſa eſt: ſi ſpecialis ἀσυλλόγιστον facit. Valet enim hanc, Cornua habet, quiſquis ea non amiſit.

In ſecunda ſpecie ſyllogiſmi explicati, nullus fit ſyllogiſmus è propoſitione ſpeciali uel aſſumtione negata.

Aliquod animal eſt equus:
Omnis homo es animal:
Homo igitur eſt equus.

Fallacia fit è propoſitione ſpeciali. In ſequenti uerò exemplo ex aſſumtione negata.

Omnis homo eſt animal:
Nullus equus eſt homo:
Nullus igitur equus eſt animal.

De Paralogiſmo connexionis. *Cap. VI.*

COnnexis quibuſdam ſyllogiſmis, quamuis non congruentibus ad conſtantiam ſpeciemq; doctrinæ, multum tamen utimur. Vtile eſt igitur admonere, inconſtantes eas cõcluſiones eſſe, quales ſunt in utroq; modo.

Primus igitur modus eſt ἀσυλλόγιστος: cum tollitur antecedens ut tollatur conſequens. Terentius in Adelphis:

——— Dem: Ceterum
Placet tibi factum Mitio? Mi: non ſi queam
Mutare: nunc cum non queo, æquo animo fero.

Quamuis autem falſa non ſint omnia huius generis exempla: iiſdem tamen ueſtigiis falſum effici concludiq; poteſt: quare negliguntur in Dialectica huius generis exempla. Proprium enim ſyllogiſmi eſt, certam diſpoſitionem & nunquam fallentem præſcribere: ut antecedentibus

poſitis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

poſitis conſequentia neceſſario concedenda ſint. Vitium autem hoc exemplo concluditur.

Si arbor equus eſſet, viueret:
Sed arbor equus non eſt:
Non igitur arbor viuit.

Propoſitio aſſumtioq́; uerę ſunt: complexio autẽ falſa.

Rarum eſt uitium connexi ex cõſequentis aſſumtione: incidit tamen aliquando. Ouid. 4. Metamorphoſeos argumentatur.

Quem ſi cura deûm tum certa vindicat ira:
Ipſe precor ſerpens in longam porrigat aluum.
Dixit, & ut ſerpens in longam tenditur aluum.

Ratiocinatio igitur Ouidij ſic habet:

Se dij ſtatuerunt vindicare Cadmum fiat ſerpens·
Sed fit ſerpens:
Ergo dij ſtatuerunt vindicare.

Fallax autem eſt iſta concluſio: dic enim:

Si arbor equus eſſet, viueret:
Sed viuit arbor:
Ergo equus eſt.

Veris partibus: complexio falſa efficitur.

De Paralogiſmo diſiunctionis. *Cap. VII.*

NIſi partes omnes diſtinctionis affirmentur ſecundus modus diſtinctus fallax erit.

Aut duo poterunt, aut unus non poterit:
Sed vnus non poterit:
Ergo duo non poterunt.

ἀσυλλόγιστον eſt. Sic etiam in negantia copulationis eſt ἀσυλλόγιστον, ſi tollatur ut retineas.

Homo non & leo eſt, & equus:
Sed non eſt equus:
Ergo eſt leo.

Propoſitio & aſſumtio uerę ſunt: complexio falſa.

De Elencho methodi. *Cap. VIII.*

CVm oratores, poëtæ & philoſophi aliquid ὕστερον πρότερον poſterius prius perſequantur, ὑστερολογίαν ſummam methodi dogmaticę & didaſcalicę fallaciam faciunt: quę cognitionem & iudicium longioris diſputationis impediat & fallat. In hac uerſatur imprimis petitio queſtionis cum progrediatur ab obſcurioribus explicatio.

Vitium etiam τῆς ὑστερολογίας maximum eſt: cum procedatur à ſpecialibus ad generalia: tum enim neceſſe erit ἀδολεσχίαν καὶ ταυτολογίαν incidere. Neceſſe enim eſt, aut uniuerſalia prius dicere aut idem ſæpius dicere.

In eodem ὑστερολογίας uitio eſt, partes non eodem ordine perſequi, quo propoſueris: obeſt enim perſpicuitati plurimum, cuius tamē cauſſa ordo & diſpoſitio laudatur: in q̄d uitium Cicero pro Deiotaro incidit. Reliqua pars ait, accuſationis duplex fuit: una, regē in ſpeculis ſemper fuiſſe, cum à te animo eſſet alieno: altera exercitum eum contra te magnum comparaſſe. De exercitu dicam breuiter ut cetera. Hîc partem poſteriorem priore loco exequitur.

Sic itaq; ſummatim, quæ Ramus de generalibus & ſpecialibus ſophiſtarū inſidijs & fallacijs habet, ſunt collecta.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

DISCEPTATIO, IN QVA, VTRAMQVE *inſtitutionem Ariſtotelis & P. Rami, de inſidioſis ſimulationibus, ad quatuor catholicas de materia & forma artium leges, commodè referri poſſe, demonſtratur.*

ARGVMENTVM.

Subduxi hucusq; quæ noſtris philoſophis de inſidioſis ſimulationibus neceſſaria aut utilia uiſa ſint: reliquum eſt ut fidem faciam omnes tàm Ariſtotelis quàm Petri Rami ſimulationes, ſine crimine, poſſe, ad quatuor illas de materia & forma artium leges, reduci. Facto itaq; initio ab Ariſtotele, probabilibus, meo iudicio (ſi quid ego iudico) rationibus aſſequi conabor, omnes in genere inſidioſas ſimulationes ab Ariſtotele & inſtitutas & obſeruatas contra leges bonis artibus præfinitas peccare. De hinc finibus ſophiſtarum quinq; ordine in manus ſumtis, contra quam legem ſpeciatim & maximè quilibet eorum pugnet expromam: idq; non aliunde, ſed ex ipſo Ariſtotele adductis exemplis teſtatum faciam. Atque hæc meæ diſceptationis pars prima erit. Altera pars itidem Rami ordine Rameos Elenchos ad noſtras leges reducet: exemplisq; inibi repertis illuſtrabit: ut tandem conſpicuum fiat & apertum nihil eſſe harum inſtitutionū in alter utro noſtrorum philoſophorum, quod quatuor legum imperio nō ſit deditum: & mandatis ſtet. Quæ ut eò felicius & facilius lector beneuolus aſſequatur, monitum eum uelim, identidem ad præcedentem utriusq; autoris inſtitutionem eſſe reſpiciendum: indidemq;, quæ breuitatis cauſſa ſunt omiſſa, petenda.

Multa ſiquidem hîc dicenda repeti, lex καθ' ὅλου πρῶτον uetat.
Omnia uno loco coniungi Methodi ἀκρίβεια
æqui boniq; non facit.

DISCE-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

DISCEPTATIONIS PARS PRIMA, DE SOPHISTARVM QVINque finibus ab Ariſtotele inſtitutis & collectis. Cap. I.

DVM aduerſario fallacias machinantur & ſtruunt ſopſtiſtæ & inſidiatores, quinque potiſsimũ propoſita ex Ariſtotelis obſeruatione habent: quorum etiam euitandorum ipſe rationes ſatis copioſè perſecutus eſt. Ego ad tanti philoſophi imitationem (ſi magnis componere parua licebit) minori cum moleſtia eos effugiendi & eludendi uiã monſtrabo: prius tamen hoc iacto fundamento, omnes iſtos fines contra leges axiomatum neceſſariorum, quæ etiã ſunt bonarum artiũ leges, peccata & uitia cenſendos & habendos. Neminem exiſtimo eſſe uel defunctoriè in Ariſtotele uerſatum, qui non ex multis locis cognouerit omne axioma neceſſarium debere eſſe κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον, de omni, per ſe, uniuerſaliter primum. Id cum obturatis auribus ſophiſtæ tanquam Syrenarum cantus prætereant: falſa, aliena, impropria reponentes, quemcunque tandem ſuorum finium in animo habeant contra axiomatum prædictas leges labuntur. In ijs autem quæ ſibi propoſuerunt nihil uerum, homogeneum, propriè dictum aſtrui & adferri non eſt hîc locus confirmare: ſingulatim enim de ijs in ſequentibus erit diſceptandum. Nunc ſatis erat monuiſſe ſophiſtarum quinque fines cum neceſſarij axiomatis conditionibus & legibus pugnare.

Cap. II.

ELenchum primum ſophiſtarum finem diuiſit Ariſtoteles in Elenchos ſpeciales circa dictionem & extra dictionem.

ctionem. Ego quod huic inſtituto magis congruit Elenchos diuido ratione effectorum, in Elenchos qui peccant aut contra ueritatem, aut iuſticiam, aut prudentiã: cũ nulla harũ ſpecierũ ſit, quam in aliquã iſtarũ legũ trium aut fortaſsis in plures una peccare, non ſim demonſtraturus.

Cap. III.

I. ELenchus Homonymiæ peccat contra legẽ κατὰ παντὸς. Reſponde itaque ad exemplum Ariſtotelicum: *oportet* non accipi generaliter in propoſitione aut aſſumtione: qua re aduerſarius fucum fecit ſic id accipiẽs & inde concludens ac ſi κατὰ παντὸς fuiſſet poſitum. Non enim omne quod facere oportet bonum eſt: cum ſæpe mala facere oporteat. Quare propoſitio peccat in legem κατὰ παντὸς.

II. Vt Homonymia propter unius uocabuli ambiguitatem, per legem κατὰ παντὸς reprehenſionem ſubibat: ſic ambiguitas uerborum coniunctorum & orationis eandem pœnã ſuſtinebit. Quis enim confirmare præſumet κατὰ παντὸς & ſimpliciter dictum: *Quod quis videt illud ipſum videt?* cum ſimpliciter & uniuerſaliter acceptum, tam de columna uiſa accipi poteſt, quam de homine columnam uidente. Etenim *illud ipſum non* magis accuſatiui quam nominatiui caſus explicare licet.

III & IV. Compoſitio & Diuiſio cum propter ambiguitatem in loquendo Elenchos pariant: eodem remedio quo Amphiboliæ Elenchus reſoluuntur & curantur. Compoſitionis exemplum eſt: poſſe non ſcribentem ſcribere. Quod ſi κατὰ παντὸς aliquis acceperit omninò & quouis modo uerum eſſe, longè à ſcopo aberrat. Neutiquam enim cum ueritate prius id conſonum erit, ut qui non ſcribat hoc temporis ueſtigio, eodem tamen ſcribat: quã contradictoriorum pugna fuerit mitigata & in amicitiam im-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

mutata. Quare uide ſis ne hoc κατὰ παντὸς dictum exiſtimes: ſunt enim diuerſa hîc tēporis momenta perpendenda: poſtea nihil erit quo offendâris. Diuiſionis exemplum eſt: Quinquaginta uirum centum liquit diuus Achilles. Id κατὰ παντὸς & ſine omni diſcrimine locutionis uerum eſſe quicunq; conceſſerit: neceſſe habet unà concedere, non magis ueritati cōſentaneum eſſe, Achillem è centum uiris liquiſſe quinquaginta, quam è quinquaginta liquiſſe centum. Quod rerum natura reclamante proferri extra controuerſiam eſt. Tutius itaque enunciatur carmen hoc non eſſe κατὰ παντὸς & quacunq; loquendi formula prolatum, uerum: ſed uirgula, poſt *quinquaginta*, poſita, ut ſignificet Achillem è centum uiris liquiſſe quinquaginta.

V. Accentus Elenchus Homonymię tam ſimilis eſt, q̃d etiam eodem quo Homonymia remedio diſsipetur. Si itaque indifferēter οὐ accipias in exēplo ab Homero deſumto nūc hæc nūc illa interpretatio conueniet: uidebiturq; huic Homerum dixiſſe nullam partem piceæ arboris corrumpi imbre: illi uerò, aliquam partem piceæ arboris computreſcere. Quod cum dolum faciat, non poteſt carmen Homericum κατὰ παντὸς intelligi: ſed ſpecialiter, in qua ſententia uerum eſt: nullam partem piceæ arboris imbre computreſcere: legendumq; eſt οὐ quod negationem ſignificat, non οὗ cuius.

VI. Elenchus Figuræ dictionis refertur ad legem καθʼ αὑτὸ. Nam cum res diuerſæ eodem dicendi genere ac forma propter ſimilitudinem aliquam efferantur: dicendi hęc forma, in una re homogenea, in altera heterogenea erit: nec quod per ſimilitudinem uerum eſt, confeſtim ſimpliciter & ubiq; uerum erit. Abſurdè itaq; dicitur, *Valere* ſignificat actionem, quod aliquando ſimile aliquid aut idem ſignificet: cum ædificare. Hîc enim homogenia quędam eſt:

illîc

illîc heterogenia. Poteſt tamen, & hîc Elenchus, propter Homonymiam, ad legem τῷ παντὸς traduci.

Cap. IV.

SIc fallaciæ quæ Ariſtoteli ſunt circa dictionẽ ad legem τῷ παντὸς & καθ' αὑτὸ examinatæ infirmantur: reſtant eæ quę ſunt extra dictionem.

I. Nulla habita inter adiuncta & ſubiecta differentia: ſed uiciſſim quæ alterius propria ſunt alteri attributa, legem τῷ παντὸς uiolatam arbitror. Cum enim dicatur Socrates diuerſus à Coriſco, non ſtatim id τῷ παντὸς dicitur: quaſi generaliter id audiendum eſſet: ſed ſecundum quid & ſpecialiter: puta, propter ea quæ utrinq; adhærent adiuncta. Hinc qui τῷ παντὸς id accipit in prædictam legem incurrit: hominemq; ſingularem ab alio ſingulari omnibus modis tam ſubſtantia quam accidentibus diuerſum eſſe, falſus credit.

II. Elencho à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter occurritur lege κατὰ παντὸς: quod exemplo Ariſtotelis apertum eſſe poteſt. Cum enim Aethiops ſecundũ partem aliquam dicatur albus, utpote propter dentes, abſurdè ſophiſta illum τῷ παντὸς & totum album pronunciauerit. Non enim ferri poteſt, ſpecialiter dicta generaliter accipi & explicari: ſed non minus peccat qui habita cognitione ſpeciali, generalem ſibi arrogat: quam qui ex generali, ſpeciales omnes ſibi attribuit.

III. Ignoratio Elenchi, ad propoſitionum oppoſitarũ Elenchum pertinet: peccatq; in legem τῷ παντὸς: & fit cum oppoſita falſò dicuntur, quæ oppoſita non ſunt. Exemplo eſſe poteſt hæc oppoſitio falſa in qua, duo dicuntur dupla ad unum, non dupla ad tria: quę nemo iure contradicentia oppoſita dixerit: quia partes non ſunt τῷ παντὸς, uerè &

reſpectu eiuſdem oppoſitæ: quod tamen in oppoſitis requiritur.

IV In fallacia petiti principij, quando propter obſcuritatem fraus exiſtit, detrectatur iudicium legis καθ' αὑτὸ: cum uocum obſcuritas à declaratione, quæ fieri debet, per uerba aperta & nota, ſit heterogenea. Animaduertendum itaq; ex ſententia huius legis in medicū erit, qui uerbis obſcuris & inuſitatis imperet ægroto, ut ſumat.

Terrigenam, herbigradam, domi portā, ſanguine caſſam,

potius quam hominum more cochleam. At ſi uitium petiti principij exiſtat quod idē omninò repetatur, ut in Synonymis: legis καθ' ὅλου πρῶτον ſententia ſeria offenditur. Nam id quod ſemel dicendum eſſet & generaliter, ſæpius & ſpecialiter repetere, nihil aliud eſt quā legē καθ' ὅλου πρῶτον antiquare.

V. Quod per conſequentis fallaciā decipit, καθ' ὅλου πρῶτον non eſt: ſed occulta & ſubdola fraude infectum. Hoc enim quod ſua natura conuerti nequeat, frandulenter & ad fucum faciendum conuertitur: ut rectè ſequitur.

Pluit: Ergo terra fiet humida.

Conuerſio conſequentis falſa erit:

Terra humida eſt: Ergo pluit.

VI. Elenchus non cauſſæ ut cauſſa peccat in legem κατὰ παντός: quod falſa cauſſa pro uera repoſita, apertum ſit ueritati contrarium uitium. Non enim uera cauſſa eſt abſurdæ complexionis, uitam eſſe ortum & uiuere oriri, hęc abſurdum axioma: anima & uita ſunt unum: ſed ex alijs cauſſis in antecedente poſitis id conſecutum eſt.

VII. Secundum plures interrogationes Elenchus eſt legis κατὰ παντός. Cum enim aduerſarium ſimpliciter et uerè, de una eademq; re interrogare perſuaſum habemus, & ipſe nihilominus nec de una re ſola, nec de multis, conditioni-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

tionibus æquis interroget, fallimur: & ſimplicem reſponſionem adferentes ridemur. Id euidens & confirmatum erit hoc exemplo, in quo propoſitis rebus multis tam bonis quam malis, interrogatio inſtituatur: ſint ne res illæ bonæ an malæ. Qui imprudens reſponderit eſſe bonas, aut malas à uero aberrat. Non enim in diſtinctione iſta, ueritas à falſitate ſeparatur: quamuis attributa ſint aduerſa, utrumque enim generaliter enunciatur.

Cap. IV.

Ψεῦδος καὶ παράδοξον cum ſola σχέσει differant: unum enim idemque reſpectu rei dicitur ψεῦδος, intellectui comparatum παράδοξον ſeu inopinabile, utrũque contra legem κατὰ παντὸς eſt. Siue enim pro uero aſſerueris quod uerum non eſt: ſiue uerũ inficiatus fueris legem κατὰ παντὸς offenderis.

Cap. V.

SOphiſta ſeu diſputator unam eandemque rem ſępius repetens, quo pacto ſit conuincendus & ab errore expediendus cap. 9. lib. 1. Rameorum Elenchorum docebit & patefaciet: Ramo enim magni momẽti res, nugationem euitare, uidetur.

Cap. VI.

SI Sophiſta Solœciſmum commiſerit aut te eò deturbare conſtituerit, confuge ad legem καθ' αὑτό: monentem & ſuggerentem arithmetica arithmeticè, geometrica geometricè & grãmaticum ſermonem grammaticè exprimendũ: ſecus facientem pœnã peccato dignam ſubiturũ.

Atque hæc eſt quæ de Ariſtotelis Elenchis inſtituenda diſceptatio mihi uiſa eſt: unde ſatis eſſe explicatum arbitror, quorſum fallaciæ Ariſtotelis ſingulatim ſint reducẽdæ: & quo pacto emendandæ. Sequitur de Rameis Elenchis diſceptationis pars altera.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

DISCEPTATIONIS PARS ALTERA, DE ELENCHIS A' P. RAMO *inſtitutis & collectis.*

LIBRI PRIMI, CAP. I.

QVod prius ex Ariſtotele docui, ſophiſticen nihil aliud eſſe quam contra leges bonarum artium uitium: idem de Elenchis à Ramo inſtitutis à me pronunciari poſſe, nihil eſt cur deſperem. Nam cum Dialectica P. Rami ad Catholicas bonarum artium leges, quantum fieri potuit, exactiſſimè conſcripta ſit: extra controuerſiã eſt, quicquid in Dialectica uitij committatur: id etiam eſſe legibus, ad quas ſe dirigit & quibus omne quod habet acceptum fert, eſſe uitioſum & odioſum. Tanta enim cum obſeruantia haſce leges obſeruat & ueneratur: ut uel minimo peccato admiſſo, ad eas tanquam ſummum & ſolum magiſtratum totam cauſſam deferat: ibiq; pœnas de reo repetat. Quod ſi uerũ, ſit, ut mihi nemo inficias ire prǽſumſerit: extra noxam ſum dicẽdo ſophiſticen à P. R. inſtitutam nihil aliud eſſe: quàm contra leges artium catholicas uitium conſilio aut caſu patratum. Hoc confirmato quam legem quodlibet uitium ſeu Elenchus à Ramo obſeruatus offendat, exponendum reſtat & demonſtrandum. Elenchorum enim diſtinctionẽ antea traditã hîc odioſè repetere nec cõſiliũ, nec utile eſt.

Cap. II.

INſolentiæ & inuſitatæ dictioni occurrendũ monet Ramus, Ciceronis autoritate fretus, dictione ſimplici: *non intelligo.* Ego ſi dialecticum uitium eſſet, ut, cum omnibus quæ propter dictionem ſunt, eſt grammaticum, reſponderem:

rem: ſyllogiſmum aut formulam loquendi hoc uitio laborantem non eſſe καθ' αὑτό: cum non ſit per ſe aut homogeneum, inuſitatas & inſolentes dictiones pro proprijs & uſitatis uſurpare. Rectè itaq; Cicero etiam in communi uita hanc loquendi formam deridendam cenſet, in qua crimina dicũtur ſputalicia: cum id nec cum populo, nec cum uſu, quem docti habent, ſit loqui: ſed impropriè, inuſitatè, peregrino ac alieno idiomate.

Cap. III.

IN Homonymiæ uitio dixi peccari contra legem κατὰ παντός. Reſponde itaq; ad exemplum:

———*Recitat ſua carmina Paullus:*

Id non eſſe κατὰ παντὸς & omninò generaliterq́; uerum: non enim *ſua* quocunq; modo, ſiue ea emerat ſiue fecerat, recitat: ſed *ſua* quæ emerat: quod in exemplo latens fucum fecit. Tale eſt illud de Crœſo Lydiæ rege apud Herodotũ lib. 1. qui cum Apollinem de bello aduerſum Syrum Perſarum regem conſuleret, oraculo hoc ambiguo falſus eſt:

Crœſus Halyn penetrans magnam peruertit opum vim.

Credidit Crœſus cum Halyn Capadociæ fluuium traieciſſet, ſe hoſtium magnã uim peruerſurum: peruertit ſuam. Hinc igitur deceptus eſt Crœſus quod oraculum ambiguum κατὰ παντὸς accepit. Non enim uniuerſaliter uerum fuit, ꝙ Crœſus quamcunq; uellet opum uim perueteret: ſed ſub eius ſimulatione dolus occultabatur.

Cap. IV.

SI Metaphora obſcura, inuſitata, aut longè nimis petita tibi imponat, dic id fieri inuita lege καθ' αὑτό. Siquidẽ nec fas eſt nec ullius legis uoluntate permittitur, orationem quę animi index apertè eſſe debet, obſcuris uerbis & heterogeneis conſtare: cum animi ſenſa ſic, cuius gratia adfertur,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

adfertur, exponere & explicare nequeat. Tempeſtas itaq; de Republ: quamuis ſeditiones aliaq; Reipub. incommoda ſignificat: tamen Ciceroni nimis longè petita & ferè aliena uidetur. Sic urbis & patriæ ſentina aliena uidetur.

Verum, ſi libitum fuerit, licebit hoc etiam loco increpitare & dicere cõmitti peccatum contra legem κατὰ παντὸς: cum id non ſit omninò & uniuerſaliter uerum, ſeditiones Reipub: tempeſtates dici: ſed per ſimilitudinem. Nihilominus prior ſolutio aptior apparet.

Cap. V.

ERror ex Ampholia impingit, ut notum eſt, in legem κατὰ παντός. Quis enim cõfirmare in animũ inducat, uerè & omninò ſimpliciter dictũ in exẽplo antea ꝓlato,

Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe,

Aut Aeacida ſuperaturum Romanos: aut Romanos eũ ſuperaturos? Quod cũ ſuſtinuerit Pyrrhus, ac ſine cothurno, & κατὰ παντὸς de ſe dictũ ſibi pollicitus fuerit, ſe ipſum, ambiguitate deceptus, decepit.

Cap. VI.

EXpoſitionis elenchus transgreditur legem καθ' αὑτό. Etenim heterogeneum quiddam eſt ſi ſecundum propoſitionem termini non exponãtur: ut in exemplo Aegritudo ponitur tanquam ſubiectum in propoſitione: mox idem in aſſumtione tanquam adiunctum repetitur: quod, ſubiecti conditionibus ſubductis & conſideratis, heterogeneum & diſſentaneum eſt.

Cap. VII.

DE Elencho petiti principij ſatis copioſè dictum eſt, in prima parte diſceptationis capite *IV*, unde quod hîc foret dicendum, petendũ moneo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

Cap. IIX.

ETερογενέιας Sophiſma per legem καθ' αὑτὸ corrigẽdum & auertendum eſſe, nemini poteſt dubiũ uideri. Quare oblato exemplo in quo arithmetica geometricè, geometica arithmeticè tractentur: ſine longa deliberatione & circumſpectione pronuncia peccatum eſſe contra legem καθ' αὑτὸ iubentem arirhmetica arrithmeticè, geometrica geometricè tractanda: ceteraq; ſimiliter ſuo probationis genere. Reliquat itaq; Poſthumus dicturus de tribus capellis Syllas, Marios, Mutios: niſi pro homogeneis heterogenea adducendi ſibi factam poteſtatem confirmauerit. Sed talis ἑτερογενείας reprehẽſio ſeuerior paullo eſt: & in diſciplinis magis quam in communibus & popularib. diſputationibus eſt animaduertenda.

Cap. IX.

TΑυτολογία, tam aperta, quam obſcura, palàm bellum facit cum lége καθ' ὅλου πρῶτον: quæ grauiſsima adiuncta pœna denunciat: nequaquam dicendum aut dictum generaliter aut ſemel: ſpecialiter & ſæpius impunè iterandum. Pœnam inter alias conſtituit cõtemtum: quod iudex ſeu auditor tali quopiam audito cõfeſtim ſit reſponſurus *nihil ad rem*: quod etiam iudicium lex καθ' αὑτὸ ſuo ſuffragio ratum faciet. Ne igitur dicito duplum dimidij duplum: nam duplum per ſe eſt dimidij et quod prius dictum erat generaliter, uitioſè ſpecialiter repetitur. Tantum enim diceres, ac ſi diceres, dimidij, dimidij duplum. Sic neq; definiendo Medicinam, dicito eam eſſe ſcientiam ſalubrium animali & homini: cum manifeſtiſsimum uitium contra hanc legem ſit: cum generaliter dictũ *animali* per ſpeciem *homini* iteretur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

Cap. X.

ELenchus τοῦ ἐναντίου peccat apertè in legem κατὰ παντός: quòd falſa cauſſa pro uera repoſita, apertum ſit ueritati contrarium uitium. Apagè itaq; te hinc Sinon, qui falſas, fabricati & in urbem recipiendi equi, cauſſas commentus es: tuq; troiana gens ueris cauſsis ſubſtitutis falſisq; infirmatis & deſtructis, diſceptatore & iudice lege κατὰ παντὸς Sinonem falſitatis conuictũ ad ſupplicium poſtulato: equumq; extra portas relinquito. Sic tua ab inſidijs Reſpub. tuta manebit.

Cap. XI.

EFfecta uitioſa & falſa ſi pro ueris adducantur, fit ſimiliter contra legem ἐπὶ παντός: quæ ueritatem in rebus omnibus ſumma cum diligẽtia deſiderat. Ridet itaq; feſtiuè Martialis memoriam obliuioſi cuiuſdam hominis ex falſis effectis: quod ei effecta tribuat ſalutare Calphurnium nominatim & memoriter, quæ tamen ex præpoſita cauſſa extemporali eloquentia nequaquam producebantur: cum nihilominus obliuioſus ille homo id ſibi perſuaſum habens, contra legem κατὰ παντὸς pugnauit. Similiter falſò res geſtæ Q. Fabij ab eius inimicis extenuabãtur: cum cõtra legem ἐπὶ παντὸς fuerit, boni & prudentis imperatoris facta, attribuere cunctatori, ouiculæ, aut homini tardo & ſtupido.

Cap. XII.

Subiectorum abuſu quando adiuncta ſibi alienũ ſubiectum uendicant concitatur lex καθ' αὑτό. Etenim quoties ars inueniendi & diſponẽdi atq; memoria Rethoricæ ſubijciuntur, heterogenea eò referuntur quo non ſpectant: hoc eſt, lex καθ' αὑτὸ uiolatur. Lex καθ' ὅλου πρῶτον neque ſine bile ferre poteſt, alicuius artis ſubiectum proprio

loco

loco generaliter explicandum aut explicatum, ſpecialiter uarijs in locis repeti.

Cap. XIII.

STatim de principio *IV* capitis prioris partis diſceptationis, quo pacto adiuncta falſa & accidentia uitioſa, iudicanda ſint & condemnanda, dixi: quod hîc repeti lex καθ' ὅλου πρῶτον æqui boniq́ non facit.

Cap. XIV.

CVm oppoſitorum ſpecie uſurpantur quæ rei ueritate oppoſita non ſunt κατὰ παντός non eſt: quale uitium eſt in exemplo, Martialis: cum ſimul colere Mineruã & Venerem pingere: & tamen opus cupere ut placeat non ſint uerè oppoſita: ſed ſimul de uno dici poſſunt abſque omni fraude.

Cap. XV.

QVoties ſimulatè comparata pronunciantur & uſurpantur, quæ comparationem non habent, contra legem κατὰ παντὸς peccatur: quia falſum loco ueri poſitum eſt. Qua re deceptus eſt Quintius falſam uerborum & factorum comparationem inſtituens.

Sic Martialis, quamuis illudendi cauſſa, contra legem κατὰ παντὸς comparauit alpha penulatorum & beta togatorum, etſi affines ſint alphabeti literæ: cum illa primum, hac ſecundum aut nihil ſignificetur.

Cap. XVI.

COniugata falſa & ſolo nomine coniugata etiam trãſgreſsione legis κατὰ παντὸς adhibentur. Id in exemplo à Ramo allato manifeſtum fit: ubi ſecula dicebantur aurea quod auri frequens iſtis ſeculis fuerit uſus. Nõ enim dicta ſunt ſecula aurea κατὰ παντὸς: & de omnibus ſeculis aureis bonis pariter ac malis: ſed ſpecialiter pro ijs in quibus auri magnus erat uſus. Quod ſi quis ad omnia aurea

ſecula accommodauerit in legem prædictam impingit.

Notatio in eandem legem offendit, cum pro uera falſa adhibeatur. Talis ea eſt quæ à Cicerone deridetur, in qua comiter per cõmuniter ab accuſatore Balbi explicabatur. Ea enim notatio falſa eſt: & à ueritate diſſentit.

Cap. XVII.

QVi non adhibitæ diſtributionis ubi adhibenda eſſet Elenchus eſt, peccatorum contra methodum unum eſt. Non enim, deſiderata diuiſione, rectâ à generaliſsimis per intermedia ad ſpecialiſsima deſcenditur. Hoc itaq; peccatum autori Organi logici uſitatum contra legem methodi peccatum eſt: quando ars logica nuſquam initio in ſuas partes diſtribuatur.

Adhibita diſtributio, ſi propter alicuius membri defectũ, imperfecta ſit à lege καθ᾽ ὅλȣ πρώτου reprehẽditur, cuius mãdatum eſt & ſententia, ut partes diſtributionis ita ſe ad totum componerent: ut cum eo cõuerti & reciprocari totamq; eius naturam ante oculos ponere poſsint: quod nec ſperare nec inuenire uno membro diſtributionis deſiderato & neglecto conceditur. Reprehenſionem itaq; hæc diſtributio non effugiet in qua ludorum genera 4 receſentur: cum tamen quinq; poſtmodum explicentur. Nam ſi quis coniecturam cepiſſet aut arbitratus fuiſſet 4 tantummodo fuiſſe in errorem dilapſus fuiſſet, & equites certatores & luſores ſeueriſsimos aduerſum ſe excitaſſet: legemq; καθ᾽ ὅλȣ πρώτου uiolaſſet.

Adhibita diſtributio ſi propter alicuius membri redundantiam uitioſa ſit, lege καθ᾽ ἀυτὸ hoc ulciſcendum duco: cum id inter diſtributionis membra ſe ingerat quod ibi locum nullum, aut negotij nihil habet. Nihilominus exemplum allatum in explicatione huius Elenchi, & ſimilia in legem καθ᾽ ὅλȣ πρώτου incurrunt: cui legi uitioſum uidetur, cũ

in ge-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

in genere & cum genere ſpecies enumerentur. Atq; ad hæc duo adhibitæ diſtributionis uitia retulero omnes uitioſas diſputationes à toto ad partes: aut à partibus ad totũ quocunq; modo inſtitutas. Quas omnes enumerare non minoris eſt laboris quam ingenij.

Cap. XIIX.

DEfinitionis Elenchus primus eſt, ut diſtributionis, cõtra legem methodi: ſi nulla ſit ubi eſſe debeat.

Definitio omninò falſa per legem κατὰ παντὸς reijcienda eſt: idq; Ciceronis exemplo qui definitionem gloriæ per timorem deridet: cum contrarium ad gloriam uerius pertineat, ab omnibus adamari & coli.

Duo illa uitia quæ in definitione ab Ariſtotele, & poſtea à Ramo ſunt animaduerſa, obſcuritas & ſuperuacuum contra legem καθ' αὑτὸ ſunt: Cum tam obſcurum quam ſuperuacuum ad definitionem, cuius officium eſt rem declarare, ſint heterogenea.

Cap. XIX.

TEſtimonium mẽdacio & falſitate commaculatum lex κατὰ παντὸς explodit: & in eius locum teſtimonium ſapientia, probitate, ueritate ornatum & munitum ſubrogandum edicit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

LIBRI SECVNDI.

CAP. I.

FALSA enunciatio primam ſcientiæ notam κατὰ παντὸς offendit: ut merito ſimplex ignorantia nominetur hic Elenchus: magnaq; nobis conſideratio adhibenda erit ne ab ea fallamur & decipiamur.

Cap. II.

CVm enunciatio negata pro affirmata & contra aſſumatur, falſum pro uero ſumitur: etſi id interdicat lex κατὰ παντός. Quare affirmatum affirmatè, & negatum negatè ſumito: & legi conciliatus eris.

Cap. III.

IDem elenchus eſt cum generale axioma ſpeciale interpreteris: & contra: ut, ſi quis hoc axioma ſpecialiter interpretaretur, dialectica eſt uirtus benè diſſerendi: de ſola Ariſtotelis dialectica, quia generale ſignum non ſit additum: aut hoc generaliter, perdidimus hominem, de omnibus plebis Romanæ hominibus, non de ſolo Catilina, in legem κατὰ παντὸς ueritatis obſeruantem incurreret. Poteſt etiam & hîc poni Elenchus legis καθ' ὅλου πρῶτον: quod ea quæ generaliter dicenda & audienda eſſent, ſpecialiter dicantur & audiantur: & contra.

Cap. IV.

ELenchus propoſitionum diſiunctarum cum ſimulatione quadam & ſpecie oppoſita, pro ueris adhibentur Elenchus legis κατὰ παντὸς eſt. Vero itaq; de oppoſitis præcepto allato falſitas euaneſcit: Vt,

Socrates diſſerit:
Socrates non tacet:

Non eſt oppoſitio quia non eſt eiuſdem: quod lex κατὰ παν-

παντὸς tradens oppoſita debere eſſe eiuſdem, ſecundum idem, &c. requirit.

Elenchus propoſitionum connexarum ſimiliter eſt, in legem κατὰ παντὸς: ut, in exemplo:

Pamphile ſi id facis hodie poſtremum me vides,

Peccatum contra legem κατὰ παντὸς eſt: cum non ſit neceſſaria in hiſce partibus connexio: quod tamen lex κατὰ παντὸς in propoſitionibus connexis requirit.

Cap. V.

QVando nulla in Syllogiſmo pars eſt categorica peccatur in legem καθ᾽ αὑτό: cum perpetuæ negationes in Syllogiſmis ſint heterogeneę: loco tamen homogenearum affirmationum ponantur. Exemplum itaq; quo concluditur nullum hominem eſſe rationalem per argumentū à diſparatis *equus*, ἀσυλλόγιστον eſt: & in legem prædictam peccat.

Syllogiſmus in quo omnes antecedentis partes ſunt particulares lege καθ᾽ ὅλου πρῶτον reijciēdus eſt, cum καθ᾽ ὅλου πρῶτον non ſit pro generali parte ſpecialem poni. Reijciendum itaq; exemplū in quo concluditur aliquem hominem non eſſe rationalem, quod aliquod animal non ſit rationale: ſiunt enim omnes partes particulares: & illegi imē pro generali ſpeciale ponitur. Nec alia ratione infirmandi & refutandi ſpeciales cuiuslibet figuræ elenchos opus eſt: ꝙ per haſce duas leges. Quare per legem καθ᾽ αὑτό nullus erit ſyllogiſmus contractus cuius aſſumptio negetur. Nullus erit in prima ſpecie ſyllogiſmi explicati, ex omnibus affirmatis per legem καθ᾽ αὑτό: aut propoſitione ſpeciali, per legē καθ᾽ ὅλου πρῶτον. Nullus in ſecunda ſpecie explicati ſit ſyllogiſmus à propoſitione ſpeciali uel aſſumtione negata: ſpecialis enim propoſitio contra legem καθ᾽ ὅλου πρῶτον eſt: aſſumtio negata cum lege καθ᾽ αὑτό pugnat.

Cap. VI.

Cap. VI.

NOn fuit in Syllogiſmos conexos à uera forma diſcedentes auſterus iudex Ramus: cùm eorum quidam extra ueram formam certi aliquid cõcludant. Sed quia iiſdem ueſtigiis ſœpiſsimè falſum elicitur & concluditur: & de Syllogiſmis præceptorum proprium munus ſit, ut ſint κατὰ παντὸς certamq́; & nunquam fallentem diſpoſitionẽ præſcribant: hoſce Syllogiſmos cõtra legem καθ' αὑτὸ peccare arbitror qui aliud quam in p̃ceptis imperatur faciunt: nec eorum exempla imitanda. Exempla uerò tam uerorũ Syllogiſmorum quàm falſorũ ubi à præceptis diſceſſum eſt legi poſſunt in Elenchis Rameis.

Cap. VII.

QVando una diſiunctionis pars negatur in ſecundo modo: itidem legis καθ' αὑτὸ Elẽchus eſt: cum in p̃poſitione ſyllogiſmi diſiuncti ſecundi modi (ut ex definitione notum eſt) nullus ſit locus negatis.

Cap. IIX.

LEx Methodi tribus uerbis cõprehenſa eſt: *natura prius præcedet*: quam nemo impunè uiolauerit. In omnibus itaq́; noſtris actionibus, corpore & animo nobis incumbẽdum erit & cauendum ne in legem tam ſeueram & argutã offendamus. Vt enĩ Methodus omnium logicarũ uirtutũ illuſtriſsima eſt: ſic Elenchus Methodi omniũ grauiſsimus eſt, & periculoſiſsimus: maximaq́; pœna perſequẽdus.

Veritas odium parit.

Librarij errata grauiora haud grauatim lector beneuole, hac imitatione corrigere rogaris.

Pagina 2 linea 29 in Epiſtola lege aditum pro additum Ibid. ultima pagina linea 3 confirmaret. 18.23. tribus capellis. 62.27 adhibeto.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)

1729.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1729 4° (LN 1014 4° copy 2)